22,091/A
IV. J. 8
DC 236

Medecine

~~Fr 40~~

Th. Eiendzingtman
Clemm.

42600

PHILIPPI CONRADI FABRICII,
MED. LIC. ET PHYSIC. BVTISBAC.
ADIVNCTI,

SCIAGRAPHIA HISTORIÆ PHYSICO - MEDICÆ BVTISBACI EIVSQVE VICINIÆ,

CVM

SYLLOGE OBSERVATIONVM ANATOMICO-CHIRVRGICO-MEDICARVM MINVS VVLGARIVM.

WETZLARIÆ,
TYPIS WINCKLERIANIS.
MDCCXLVI.

Koninklijke Bibliotheek 's Gravenhage
Verwijderd K. B.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Damaſcenus *Aphor. 34.*

Pharmaca pauca tibi tenenda ſunt & quorum operationes & poteſtates jam multoties expertus es. Totius enim multitudinis notitia incomprehenſibilis eſt, ac quum per ſingula volueris inquirendo diſcurrere, multiplici diverſitate diſtentus neſcias, cui debeas fidem adhibere.

AD
BIBLIOTHECAM
PRINCIPALEM
ARAVSIO-NASSAVIENSEM
DILLENBVRGICAM.

VIRO ILLVSTRI
ATQVE CONSVLTISSIMO
DOMINO
MAVRITIO KOCHIO,
SERENISSIMI PRINCIPIS HÆREDITARII HASSO-DARMSTADINI DIRECTORI CAMERÆ ET CONSILIARIO AVLICO,
PATRONO SVO
ÆTATEM DEVENERANDO
PLAGVLAS HAS
EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA
D. D. D.

AVCTOR.

VIR ILLVSTRIS
ATQVE CONSVLTISSIME.

CIrcumſpicienti mihi & animum partes in omnes vertenti, cui Opuſculum hoc inſcribendo devotæ mentis obſequium publice teſtarer, TVA ſtatim *Vir Illuſtris* inſignia in me beneficia ob oculos verſantur, ita ut ingratitudinis notam me effugere vix poſſe certus ſim, ſi ea longiori ſilentio involvam. Quod ſi vero ſimul ad opuſculi hujus argumentum attendam, ſpecimen laborum commodis Patriæ noſtræ communis, cujus TV hodie unum e præcipuis ornamentis es, deſtinatorum inter alia continentis, eo validius

dius me obſtrictum ſentio, quantum in me eſt, minime permittere, TVA erga me & ſingulos eos, quos æqui verique ſtudioſos cognoſcis, benignitas a quoquam amplius ut ignoretur, ſed arrepta hac occaſione eam publice deprædicandi, ad minimum chartaceo quodam documento comprobare, quam inique me a facultate illam digniori modo remunerandi excluſum feram, præcipue, quum priorum conaminum ſucceſſus inſperati me ex parte metu illo exſolverint, quo verebar, ne aliquid nimis ineptum obtrudendo TIBI, *Patrone colendiſſime*, ruborem ultro incutere voluiſſe viderer. Vtut autem de reliquo pudor non adeo meo ab ore refugiat, ut aliquid luce TVA vere dignum me exhibere unquam valiturum eſſe credam, accipias tamen hunc libellum *Vir Illuſtris*, pro TVO in

bonas artes illiusque Auctorem favore, fronte ſerena, TIBIque ſimul perſuadeas rogo, me ejus dedicatione non tam honori & laudibus TVIS aliquid addere voluiſſe, utpote quarum fama per ſe nunquam ſeneſcet, quam potius a ſplendidiſſimo nomine TVO decoris plurimum mihi accerſere, & edito hoc venerationis & fidei in TE meæ, quæ TIBI longa tenaxque ad finem vitæ uſque ſtabit, monimento, ulteriore TVA protectione me digniorem reddere. Vale *Vir Illuſtris*, & felicitate TVA, quam, raro utique exemplo, ſolis excelſi animi TVI virtutibus ac in AVGVSTAM PRINCIPVM HASSIACORVM DARMSTADINORVM Domum Regnatricem meritis haud morituris debes, quam diutiſſime fruere. Dabam e Muſeo die 30. Novembris Anno MDCCXLV.

PRÆ-

PRÆFATIO.

POſt Primitias Floræ Butisbacenſis *Diſſertatione epiſtolari ad* Magnificum *D. D. HERTIUM noſtrum in publicam ſalivam emiſſas apud me conſtitueram reliquas viciniæ noſtræ divitias vegetabiles juſto volumine comprehenſas conſpectui orbis litterati exponere, præcipue quum obſervarem ei mea conamina non penitus diſplicere, meque potius benevolentia & favore ſummorum quorundam virorum, quos ardens ad æthera virtus dudum evexit, ac nulla dies unquam memori ævo eximet ob illa augeri. Verum quum*

ſua quemque voluptas trahat, nec omnes arbuſta humilesque Myricæ juvent, inſtitutum mutandum ac Specimen quoddam cum Phyſici, *ut vocant, functione, paulo propius conveniens omnibus aliis præmittendum exiſtimavi. Eo jam fine præſens opuſculum benevolo LECTORI exhibeo, ei ſimul de illo judicium plane illibatum & integrum reſervans, licet me aliqua ſpes ſuſtineat, quod illi apud harum rerum peritos gratia non plane nulla conſtitura ſit, quum meras obſervationes propria vel Parentis mei plurium annorum experientia ſuffultas & Hiſtoriæ naturali Patriæ illuſtrandæ maximam partem haud inidoneas contineat. Faxit ſummum NVMEN quod huic quoque diſtrictui, quem Phyſico Medice deſcribendum mihi ſumſi, licet is reſpectu totius univerſi vix cum puncto quodam comparandus ſit, valde luculenta tamen Divinæ ſuæ potentiæ, benignitatis & ſapientiæ veſtigia in quolibet Naturæ regno impreſſit, prout cuilibet nexum rerum & eventuum naturalium inter ſe invicem & cum ſuis finibus attendenti abunde illuceſcet, ut ab iſto reliquoque meo labore quam plurimum utilitatis in proximum ægrotantem redundet!*

Admo-

ADmodum amœno fœcundoque ſolo ambitur BVTISBACVM non minus ex mœnium turriumque antiqua & ſolida ſtructura, nominisque quod a Bucinabantibus olim hunc quoque terræ tractum, fontibus ac rivulis ſat copioſis irroratum incolentibus, communiter deducunt ſono, quam aliis monimentis litterariis a.) comprobatæ vetuſtatis oppidum, ſitum in Haſſia ſuperiore, vel ſi mavis in Wetteravia ad diſtantiam quartæ partis milliaris Germanici a fluvio Wetter, qui toti huic regioni nomen impertivit, in via Regia Francofurto & Friedberga Wetzlariam ac Gieſſam ducente. Juxta hanc viam qua verſus 2. urbes ultimo

a.) *Ex. gr. Privilegio Cæſareo a LVDOVICO IV. noſtræ civitati A. 1321. conceſſo, & ſubſcriptione Domini territorialis Philippi de FALCKENSTEIN, cujus epitaphium in templo noſtro urbano conſpicitur munito.*

mo nominatas ſpectat, fertilis admodum ager viſitur ab Hunnorum quinto & aliquot ſequentibus poſt natum CHRISTVM ſeculis Germaniam devaſtantium caſtro ibi exſtructo, cujus rudera terram fodientibus ſubinde ſe offerunt, die Heunburg vocatus, in quo Romana varii generis numiſmata b.) aurea ſcilicet & ænea, præci-

b.) *Pleraque horum ſitu & vetuſtate ita attrita ſunt, ut præter caput & nomen Imperatoris vix aliquid diſtincti contineant, duo tamen argentea ad manus mihi ſunt, quorum alterum in antica facie exornatur capite laureato cum epigraphe L.SEP. SEVE., in poſtica vero fœmina lauream dextra porrigens cum circumſcriptione VIC. COS. adhuc ſatis luculenter conſpicitur. Alterum numiſma itidem oſtendit caput laureatum cum lemmate ANTONINVS PIVS AVG. in facie averſa vero repræſentantur 2. viri pileati humi ſedentes, qui dorſo conjuncto tropœum ſuffulciunt cum litteris PARTM Ex -U ------ IIII., litteris eraſis fortaſſe gentem, ex cujus clade tropœum partum fuit, deſignantibus, numero adjuncto vero quartum conſulatum Imperatoris exprimente, quem ut Gregorius HALOANDER ab Henrico GLAREANO in Chronologia allegatus adnotat, cum ÆLIO AVRELIO Cæſare A.V.C. 897. geſſit, & quo victoria hoc numo deſignata forſan exhilaratus fuit. Conſtat enim ex Hiſtoricis hunc Imperatorem pacis licet amantiſſimum felicia tamen bella cum Dacis, quorum honoratiores*

præcipue vero argentea, ANTONINI PII SEPT. SEVERI aliorumque Imperatorum effigiem & nomen exhibentia frequenter reperiuntur. Paulo magis verſus Septentrionem vero decantata illa apud Veteres *foſſa polenſis* eandem tranſit per campos & ſilvas utrinque locatas ex orientali verſus occidentalem mundi plagam excurrens, id quod a B. D. D. VALENTINI *Prodrom. Hiſtor. natur. Haſſ. pag. 5.* jam indicatum fuit.

Vrbs ipſa, cujus elevatio poli 50. gradus & 20. incirca minutas conficit, cum pomariis eam ſilvæ ad inſtar ſtipantibus in planitie quadam tali modo ſita eſt, ut ab Aquilonis furore modico confiniorum ejus in ſilvam elevatiorem ſenſim exſurgentium tractu nonnihil defendatur, ab occaſu vero multo inſignius montoſum ſilvarum jugum ditionem ipſius circumſcribit verſus reliquas mundi plagas æquabili modo decurrentem & Æolo aëris ſqualores & caligines ſalubriter diſſipanti acceſſu facilem, quod etiam una e præcipuis cauſis eſt, cur tonitrua citius transeant,

ratiores teſte SALMASIO in Plinianis pileis uſi fuerunt, nec non Alanis, Mauris & Quadis per Duces ſuos geſſiſſe.

eant, & obinde reſpectu aliorum locorum apud nos minus damnoſa ut plurimum obſerventur, niſi quidem a plaga cœli orientali, quod tamen rarius fit, proveniant, adeoque ob rationem ſtatim indicandam atmoſphæræ noſtræ paulo diutius inhærere cogantur. Modo dicta ſilvarum altius locatarum ſeries extremitate ſua meridionali terminatur in montem juſtæ fere magnitudinis den Hauſsberg c.), ac præter quod tempeſtates ab oriente verſus occidentem aliquando tendentes valde cohibeat, nubibus pluvioſis ab occidentali auſtrali cœli regione nobis imminentibus itidem obicem haud exiguum ponit, eaque propter in cauſa eſſe videtur, cur frequentius ſiccitate, quam nimia veris & æſtatis humiditate laboremus. Paludes inſigniores vel fodinæ metallicæ exhalationibus noxiis aërem inficientes, ſanitatique hominum inſidias molientes æque ac fumus carbonum & ceſpitum foſſilium noſtra ætate in hac regione ignorantur, prout & climatis noſtri temperies animalia peſtilentiori veneno armata, ſicque

c.) *In hoc monte quidam ſe varii generis conchylia reperiſſe aſſerunt, de qua vero re ob defectum autopſiæ nihil certi adferre poſſum.*

que aërem vel aquam corrumpentia haud admittit. Inter ea vero, quæ certis annis mirum quantum multiplicata copiæ & bonitati frumentorum, olerum & fructuum interdum damnum haud ſpernendum inferunt, adeoque diverſis conſtitutionibus morboſis in hominibus æque ac in brutis teſte obſervatione *Vallisneriana* & *Mazzuchelliana* omnino anſam præbere poſſunt, mures, limaces & verminoſa illa congeries, quam vernacula Mehlthau und Heel=Würme appellant, pulicesque hortenſes ut & curculiones atque erucæ potiſſimum notari merentur, prout hac ipſa, dum hæc ſcribo, æſtate viciniæ noſtræ prata & campi orientales poſt innumerabilia papilionum agmina vento boreali advecta tam ſtupenda erucarum gregariarum DERAVMVRII multitudine infeſtati fuerunt, quam nemo unquam antea conſpexit. Plantæ etiam venenatæ d.) reſpe-

d.) *Ut Cicuta, Solanum, Cynogloſſum, Hyoſciamus, Thymelæa, Xyloſteum Dod., Evonymus, Ranunculi, Sambucus racemoſa rubra, Pes anſerinus Tab., Sclarea, Cynapium, Circæa, Tithymali, Paſtinaca ſilveſtris, Bella Donna, Clematis, Stramoneum, Digitalis, Lolium Dill. Secale corniculare nigrum, Impatiens Dod., Colchicum, Tubera cervina cum pleriſque*

reſpectu ſalubrium & virtutibus Medicis multifariis ditiſſimarum e.) ſpecie & numero minus frequentes in vicinia noſtra ſponte

risque reliquis Fungorum & quibusdam Muſcorum ſpeciebus, quarum tamen plantarum nonnullæ externe vel etiam interne debita cum cautione adhibitæ ſimul uſum reſolventem, vulnerarium, ſiſtentem & anodynum haud contemnendum præſtant. Singulis quoque his venenis benignus Naturæ Auctor ſua Antidota indigena & paratu facillima conſtituit, id quod illi facile comprehendent, quibus uſus vomitoriorum nec non aceti & radicum herbarumque alexipharmacarum infra nominandarum in venenis viſcoſis, narcoticis & conſtringentibus; aquæ ſimplicis vero & lactis pinguedinisque animalis in cauſticis paulo intimius perſpectus eſt.

e.) *Quales ſunt: Dentaria, Aſarum, Sedum verniculare Offic., Spergula I. B., Opulus Ruell., Convolvuli, Polygala, Bryonia, Acacia off., Spina cervina Geſner., Linum catharcticum, Lampſana, Chenopodia, Mercuriales, Arum, Cardiaca, Rapunculus eſculentus O., Rapunculus ſpicatus I. B., Menyanthes, Alliaria O., Tragoſelina, Calamus aromaticus O., Gentiana cruciata, Cichorium, Angelica montana, Anethum, Angelica pratenſis Apii folio, Daucus, Carum, Orobanche, Menthæ paluſtres, Senecio, Origanum, Iva moſchata Riv., Lilium convallium, Tiliæ, Betonicæ, Viſcus, Cataria, Verbena, Menthaſtrum O., Millefolia, Primulæ veris, Pinus, Abies, Acer, Clinopodium, Acinos Riv., Serpilla, Sideritis, Galeopſides, Pulegium agreſte O., Arte-*

ſponte naſcuntur, ut itaque nec ab harum exitioſis effluviis, nec ab iisdem in ſubſtantia eſculentis improvide commixtis nota-

Artemiſiæ, Ariſtolochia, Stachys Fuchs., Fumariæ bulboſæ, Carlina, Vincetoxicum, Aſter Atticus, Imperatoria pratenſis, Pulſatilla, Petaſites, Sambucus, Scordium O., Scorodonia Riv., Herba Paris, Oreoſelinum, Phalangia, Acetoſa, Acetoſella O., Plantagines, Rubus idæus, Berberis, Fragaria, Saxifraga verna annua humilior, Veronica verna trifido vel quinquefido folio, Trifolium phæum, Anagallides, Alſines ſpecies Dillenianæ pleræque, Lactuca ſilveſtris, Sedum majus O., Valerianella, Borrago, Nympæa, Ceraſus, Caſſida, Chamæmelum, Centaurium minus, & minimum, Tormentilla, Sorbus, Conyza media O. Filagines, Muſcus arboreus O., Pimpinellæ ſanguiſorbæ, Rubi ſilveſtres, Salices, Biſtorta, Butomus, Cornus fœmina, Myoſurus Dill., Carpinus, Lycopus, Nigellaſtrum O., Linagroſtis, Myrtillus, Quercus, Junci, Hordeum murinum Tab., Terræ glandes Dodon., Galla O., Iris paluſtris, Corylus, Sophia Chirurg., Filix mas & fœmina cum aliis, Tanacetum, Cyanus O., Valerianæ, Euphraſiæ, Calcatrippa O., Oenanthe, Bardana O., Filipendula, Juniperus, Salicornia, Ebulus, Frangula, Stœchas citrina O., Spina alba ſilveſtris Fuchs., Dipſacus, Alkekengi, Sia, Cuſcuta, Roſæ ſilveſtres, Lupulus, Allia, præcipue urſinum, Cirſium arvenſe, Gramen caninum O., Geniſta, Cytiſo-Geniſta, Geniſta-Spartium, Nigellæ, Conyza major, Luteola, Napus, Saxifraga O., Radi-

notabile & frequens periculum immineat. Ad reliquam autem ſoli noſtri bonitatem fertilitatemque indicandam ſatis erit ſi dixero,

---

Radicula Dill., Naſturtium ſilveſtre capſulis criſtatis, Cardamine pratenſis cum congeneribus, Siſymbria, Raphaniſtrum, Vrticæ, Betula, Scandix, Plantago aquatica O., Lycopodium, Phellandryum, Beccabunga O., Anonides, Calcitrapa O., Aquilegia, Caucales, Lamium albo flore, Tetrahit D., Bugloſſum arvenſe, Perchepier Anglor., Myrrhides, Juncagines, Medica, Flores Adonis, Orobi, Caryophylli ſilveſtres, Fraxinus, Polypodium, Fungus ſalignus Ephem. Natur. Curioſ., Viola, Tuſſilago, Muſcus pyxidatus J.B. Pulmonaria arborea O., Veronica O., Papaveres erratici, Pes cati O., Eryſimum, Scabioſæ, Pulmonaria maculoſa, Chelidonium, Fumaria vulgaris cujus minor & tenui folia ſpecies in agris circa Steinfurt *nuper longe copioſior mihi occurrit quam in loco in Primitiis indicato, Hieracia, Filicula ſaxatilis corniculata, Chondrillæ, Rutæ muraria, Agrimonia, Odontites Riv., Sedum minimum luteum non acre, Tragopogon, Eupatorium, Dentes Leonis, Buphthalmum, Chamædrys ſpuria fœmina O., Ptarmica, Sonchi, Caryophyllata, Ficaria O., Barbarea O., Matriſilva O., Lichen petræus ſtellatus C. B., Perſicariæ, Chryſoſplenium, Trichomanes, Populago, Aparines ſpecies, Cruciata, Helleborines ſpecies Dillenianæ, Scrophulariæ, Campanulæ, Polytricha, Erica, Vlmaria, Dulcamara O., Branca urſina Germ. Verbaſca, Been album O., Melampyrum, Aſtragalus Riv.,*

xero, fere omnia ea in illud quadrare; quæ ſupra citatus D. D. VALENTINI *Cap. I. §. 2.* nec non *Cap. IV. & V.* de

Riv., Viciæ, Melilotus, Loti pentaphylli, Linaria O., Symphitum, Polygona, Serratula, Anacampſeros, Oſmunda foliis lunatis, Alchimilla, Elatine Riv. Rubeola, Sanicula, Herniaria; Holoſteum D., Leucanthemum, Ophris, Populus, Prunellæ, Pediculares, Ornithogalum, Pirola, Numularia O., Gerania, Hedera arborea, Jacea, Lagopus, Flos trinitatis O., Liguſtrum, Pentaphylloides, Jacobea, Hyperica, Verbeſinæ D., Bonus Henricus O., Cotula fœtida O., Lenticulæ paluſtres, Doria Geſn., Perfoliata O., Lapatha, Equiſeta, Cervicaria O., Gallium, Helianthemum, Moſchatellina, Orchides præſertim alba & ſpiralis, Chamæneria, Salicaria, Burſa paſtoris, Muſcus terreſtris & hortenſis O., Saponaria O., Echium, Fagus, Lyſimachia, Galeobdolon D., Onagra, Knavvel D., Cyanus latifolius montanus, Pentapterophylla D. & N., Nidus avis, Chryſanthemum, Caprifolium, Vulneraria, Vnifolium, Piloſellæ, Potamogeta, Pervinca, Succiſa O., Alnus, Arundo, Vlmus, Parnaſſia, Virga aurea, Boviſtæ D. &c. &c. quarum vires ſurſum vel deorſum evacuantes, ſtomachicæ, carminativæ, nervinæ, roborantes, cephalicæ, antiſpaſmodicæ, uterinæ, anticatarrhales, reſolventes, ſudoriferæ, temperantes, antifebriles, ſiſtentes, anthelminticæ, ophthalmicæ, diureticæ, pectorales, aperientes, emollientes, lenientes vulnerariæque pro diverſitate ſpecierum in radicibus, caulibus, corticibus,

Wetteravia & Haſſia noſtra in genere prædicavit.

Aquarum vero hic loci magna præſertim bonitas ubertasque eſt, præ cæteris tamen eæ, quæ uſui hydraulico & culinari communi deſtinatæ e ſcaturigine quadam pratenſi per tubos ſubterraneos huc derivantur a mollitie & ſalubritate laudari merentur, ad inſtillationem olei tartari per deliquium non ſtatim, nec tam intenſe, ut in cæteris fieri ſolet, ſed poſt plures demum minutas nonnihil lacteſcentes, nulla vero vel exigua ſaltem, dum coquuntur, cruſta calcaria interiorem vaſculi faciem obducentes, ſed penitus fere in halitum ſe reſolventes, & ad ſordes linteaminum extergendas, cereviſiam-

foliis, floribus, fructibus vel ſeminibus earum reſidentes nemini ignotæ ſunt, & ex quibus, ſi cum morbis infra recenſendis conferantur, veritas adſerti Dilleniani, de convenientia plantarum cujusvis regionis quoad uſum Medico-Practicum cum morbis in ea vulgaribus, indeque colligendis Divinæ providentiæ & benignitatis veſtigiis ſpecialiſſime confirmatur, quæ eo vividius in oculos animumque incurrunt, ſi adcuratiore floreſcentiæ & fructificationis horum vegetabilium contemplatione inſtituta, ſimul perpendatur, quanto Naturæ ſingulis annis rejuveneſcentis ordine, magnificentia & varietate illorum propagatio ſpecifica & ſpontanea contingat.

ſiamque parandam ac legumina decoquenda peridoneæ, adeoque fere omnibus characteribus illis imbutæ, quos pro dignoſcenda aquarum bonitate B. D. D. HOFFMANNVS *Opuſc. Phyſic. Med. Tom. 2. p. 429. & ſeqq.* commendavit. His proxime conveniunt imo frigoris reſpectu gratiores ſunt aliæ quædam fontanæ intra urbem ſcaturientes der Knobloch- und Roß-Brunnen, quarum Patrum memoria tanta fuit exiſtimatio, ut cives etiam ditiores iisdem pro potu ordinario uterentur, quod multi pro cauſa agnoſcunt, cur ſuperioribus annis plures utriusque ſexus homines grandævi in hac urbe conſpecti fuerint, quam quidem hodierno die, quo præter vina Rhenana & Franconica, quæ ditiorum in cenſum potiſſimum veniunt, ac cereviſiam hordeaceam, cujus potus fere univerſalis eſt, vini pomacei & inprimis ſpiritus frumenti abuſus ſemper magis magisque, ſicut alibi, ita hic quoque apud vulgum increbeſcit, licet de reliquo nec hodie apud nos deſint, qui octogeſimum quin & nonageſimum ætatis annum attigerunt. Thermopoſiæ quoque jam paſſim noſtrates adſueſcunt, hominibus tenuioris ſortis vel parſimoniæ deditis Theæ Chinenſi fabisque ſic dictis Coffée Veronicam, Be-

tonicam, Serpillum, Flores primulæ veris, polentam toſtam &c. ſubſtituentibus.

Alimenta quod attinet, panis hic paratur optimæ notæ, tum triticeus, tum ſecalinus, tum confuſaneus ex ſecali atque hordeo. Præterea ſorbitiones & pulmenta ex flore tritici, hordeo decorticato, avena, milio & oryza cum vel ſine lacte in frequenti uſu ſunt. Ex oleribus & radicibus eſculentis braſſica criſpa & capitata recens vel muria condita, gonylodes item & Sabellica, Apium dulce, Paſtinaca & Daucus ſativus, & quæ primo loco nominanda erat rapa cum Solano tuberoſo hic in magna copia ſeruntur & comeduntur, braſſicæ vero cauliflora, coronæ ſolis parvo flore radice tuberoſa, Tragopogonis purpureo cœrulei & Scorzoneræ Aſparagique reſpectu illorum parcior paulo cultura eſt. Chærefolium & Petroſelinum ut & Spinachia, Beta Atriplexque nec non cucumis, Lactuca & Endivia in juſculis, pulmentariis & acetariis frequentiſſime adhibentur, æque ac raphanus ruſticanus, Anethum, Abſinthium, Satureia, Naſturtium hortenſe, Ros marinus, Salvia, Majorana, Thymus, Capparides, Poma citria, cortices aurantiorum aliaque condimenta & aromata exotica.

Neque

Neque piſis, ciceribus, lentibus, fabis, cepis & porro de ſuo honore apud nos detrahitur, id quod de fructibus horæis, ceraſis, prunis, uvis, moris, ribeſiis, baccis rubi idæi, pomis, pyris, cydoniis, malis Perſicis & Armeniacis atque Sorbis cum nucibus juglandibus & avellanis, meſpilis & ſimilibus itidem tenendum eſt, utpote qui in & extra urbem æque ac in vicinia in haud exigua copia coluntur. E fungorum eſculentorum ordine vero, qui alibi locorum in delitiis ſunt, ſola fere Morchella D. haud inſalubri fortaſſe conſilio in uſum trahitur, licet Amanita campeſtris alba ſuperne, inferne rubra D., Amanita divi Georgii D., Amanita Kremlinga pileo rubro aut rubore ſaltem adſperſo D., Amanita piperata alba lacteo ſucco turgens D., Boletus luteus D., Boletus magnus Auguſti menſis D., qui interdum in facie poroſa elegantiſſime miniatus conſpicitur, & Fungoides coralliforme D. cum pluribus aliis in ſilvis noſtris itidem ſat copioſe occurrant. Carnes, quæ in uſum culinarem hic loci cedunt, ſunt potiſſimum bubulæ, vitulinæ, vervecinæ & ſuillæ hircinæque, quæ ultimæ vero a pauperioribus tantum com-

B 3 edun-

eduntur ; ac e volatilium grege columbinæ, gallinaceæ, anſerinæ & anatinæ cum juſculis earum decoctione paratis, carnes autem ferinæ atque piſces recentes præcipue ſaxatiles paulo rarius occurrunt, quorum loco haleces & aſelli in magna copia ab incolis urbanis æque ac paganis conſumuntur. Ovorum vero lacticiniorumque frequentiſſimus, ſicut butyri caſeique uſus quotidianus eſt.

Indoles incolarum, ſi paucos forſan excipias, laborioſa & induſtria eſt, maribus ſuis opificiis, infirmiore autem ſexu rebus œconomicis, lanificio & culturæ herbæ Nicotianæ ſtrenue operam navantibus, neque ingenii encomio omnimode deſtituuntur, ſiquidem artifices & mechanici diverſi hactenus hic numerati fuerunt, primaria artis ſuæ laude clari, quorumque aliqui, quod potiſſimum admirationem mereri videtur, ſine ullis fere magiſtris ad culmen ſui artificii pervenerant. Studiorum vero amore tam inſigniter ſemper nonnulli ex illis capti fuerunt, ut jam dudum, ſicut alibi quoque commemoravi, quosdam ſuorum civium inter præcipuos Divini humanique juris & elegantiorum litterarum Antiſtites ab

erudi-

erudito orbe relatos civitas noſtra conſpexerit, nec hodie ei deſint exempla virorum in ipſa natorum, qui rei publicæ æque ac litterariæ cum ſplendore & laude inſerviunt.

Quemadmodum autem ſalubritati aëris, aquarum & alimentorum hucuſque expoſitæ æque ac firmæ robuſtæque corporis conſtitutioni, qua plerique incolarum noſtrorum inſtructi ſunt, debemus, quod nulli inſigni morbo endemio ſubjecti ſimus, morbi epidemii autem apud nos reſpectu aliarum regionum itidem minus frequentes ſint, ita eosdem æque ac ſporadicos hic loci & in vicinia noſtra hucuſque obſervatos melioris ordinis gratia in 4. Claſſes diſpeſcere lubet, quarum prima maxime vulgares, altera eos, qui reſpectu illorum paulo minus frequentes ſunt, tertia rariores continet, in quarta autem illi comprehenduntur, qui nunquam vel rariſſime ſaltem Medico apud nos artem facienti in hominibus inquilinis obvenire ſolent, ubi ſimul methodum & remedia, quæ huc uſque ad illos profligandos præ aliis idonea reperta fuerunt, hinc inde paucis indicabo.

In *prima* Claſſe commemorandi ſunt morbi ventriculi & inteſtinorum cruditati-

bus eorundemque fibrarum muſcularium atoniæ aut ſtricturæ ſpaſmodicæ proxime vel per conſenſum ortum ſuum debentes ut: *Dyſpepſia*, *inflatio ſtomachi*, *Cardialgia*, *dolores colici*, *Cephalalgia*, *morbusque Hyſtericus cum ſymptomatibus* eis adnexis, qui tamen remedio quodam laxante, vel ſi inſignis in ventriculo humorum vitioſorum ſaburra & nulla contraindicantia & prohibentia adſint, emeto - cathartico mitiore tempeſtive propinato, ſubjunctisque vel pro diverſitate circumſtantiarum præmiſſis abſorbentibus & digeſtivis cum ſtomachicis carminativis & tonicis, aut antiſpaſmodicis anodynisque mineralibus ac uterinis, præcipue vero caſtorinis, ut & clyſteribus demulcentibus ac epithematibus roborantibus aut anodynis & carminativis plerumque curantur. Ex remediorum vomitoriorum ordine radicem Ipecacuanham, tartarum emeticum vel oxyſaccharum emeticum LVDOVICI; e purgantibus vero radicem Jalappæ ejusque reſinam, nec non ſal Epſonenſe vel Sedlicenſe, rhabarbarum ejusque Tincturam, Tamarindos, Paſſulas, folia Sennæ, fibras radicis Hellebori nigri, Aloen gummoſam aliaque extracta amaricantia, mercurium dulcem, tartarum ſolubilem,

Man-

Mannam, magneſiam albam, aquam laxativam Viennenſem cum ſyrupo roſarum ſolutivo, florum perſicorum vel cichorii cum rhabarbaro in doſi a Scriptoribus materiæ Medicæ primariis B. WEDELIO (*Amœnit. mater. Medic.*) & B. BOECLERO (*Adnotat.* ad P. HERMANNI *Cynoſur. mater. Med.*) ſuo loco determinata præ aliis cum ſucceſſu in uſum trahimus, pro diverſitate ſubjectorum & morborum reliquarumque circumſtantiarum unum vel alterum ex illis ſeligentes & in forma conveniente propinantes. Modo indicatorum Auctorum regulas etiam in reliquorum medicamentorum præſcriptione ratione doſeos noſtro climati convenientiſſimas reperimus, modo ſpecialis individuorum conſideratio hic itidem inſtituatur. Æque frequentes apud nos *morbi catarrhales* ſunt, in quibus, ſi a cauſa materiali frigida proveniant, præter laxantia nobilis præcipue eſt ſpiritus ſalis Armoniaci aniſatus cum liquore terræ foliatæ tartari aut eſſentiis aliquot anticatarrhalibus vel elixirio pectorali *Wedel.* maritatus, pulvere pectorali balſamico ejusdem Auctoris & mixturis diapnoi-

cis nec non ſpermate ceti cum ſaccharo canto ſubacto vel in juſculo calido ſoluto, infuſisque theiformibus & regimine conveniente minime neglectis: quo magis vero æſtus præternaturalis aliaque ſymptomata febrilia concurrunt, eo parciori manu ſupra indicata reſolventia volatiliora cum modo dictis remediis diaphoreticis fixis & diluentibus combinanda ſunt. Eodem pertinent *morbi aſthmatici cachecticique* ab *hæmorrhoidum* & *menſium* anomaliis utplurimum orientes, in quorum curatione a Stahlianorum medendi methodo ut recedamus vix opus eſt. Circa finem hyemis & initium veris *morbi pleuritici* quotannis ſuam quoque ſcenam ludunt, qui tamen, dummodo nulla alia labes in viſceribus occultetur, ægrotique ſenio non nimis confecti ſint, & Medici opem tempeſtive expetant, venæ ſectione largiore ſtatim circa initium morbi in brachio lateris adfecti inſtituta, mixturisque diapnoicis pulveribusve nitroſis, abſorbentibus citratis diaphoreticis fixis & cinnabarinis cum extracto caſcarillæ aquoſo, vel in caſu malignitatis cum paucillo camphoræ re-

mix-

mixtis, nec non infuſis theiformibus, emulſionibus, decocto vel gelatina cornu cervi, linimentis item ac ſacculis anodynis diſcutientibusque, ſique obſtructio alvi concurrat, clyſteribus demulcentibus cum regimine temperatiore adhibitis profligantur, criſi perfecta circa 7. 8. vel 9. morbi diem utplurimum ſubſequente. Quando vero ob ſymptomatum perſeverantiam vel recurſum iterata ſanguinis emiſſio requiritur, tunc eandem in brachio lateris oppoſiti vel pedibus demum tuto inſtituere licet, ut Medicus & Litterator toto orbe celeberrimus Magnificus D. D. TRILLERVS in exaſciato de pleuritide Tractatu *Cap. 2. §. 33. & ſeqq.* experientia ſuffragante monuit. Eodem tempore præcipue vero æſtate adpropinquante vel etiam paulo tardius aliæ quoque *Febres acutæ continuæ & ardentes inflammatoriæ*que cum *intermittentibus* præcipue *quotidianis* & *tertianis* (nam *quartanæ* infrequentiores ſunt) in hac regione occurrunt, in uno tamen loco plura, in altero pauciora ſubjecta invadentes, nec æquali ſemper vehementia ubique infeſtæ, ſicut ex. gr. noſtra

noſtra in ſpecie civitas a modo indicatis Febribus intermittentibus non adeo inſigniter incommodatur, quum e contrario poſt hyemem initio anni 1740. inſolito ſuo frigore tranſpirationem corporum intenſius ſufflaminantem complures Febribus acutis homines gravi cum periculo apud nos decubuerint. Ad curationem iſtarum quod attinet, niſi quidem inſignis malignitas concurrat, venæ ſectio ſub ingruentis mali primordia ſtatim celebrata hic quoque præcipuam methodi medendi partem utplurimum abſolvit, quæ methodus nec in reliquis a modo pleuriticos tractandi adeo inſigniter differt, additis ſolum liquoribus acidis mineralibus dulcificatis largo vehiculo dilutis, quos inter liquor anodynus mineralis *Hoffman.* jure ſuo excellit. Eædem vel ſine conſtitutione catarrhali conjuncta haud raro petechizant, eo ipſo tamen non ſemper majorem malignitatem & contagium inferentes. Diverſa ſubjecta mihi nota ſunt, in quibus hi morbi adcuratiſſima criſi die 14. vel 21. inſequente finiti fuerunt, frequentius vero per Lyſin terminantur. Febrium inter-

mitten-

mittentium eſſentialium & typicarum autem apud nos vix ulla ſine præmiſſo vomitorio perfecte ſanatur, quo adhibito, pulveribusque digeſtivis paroxyſmo inſtante; ac vino Medicato vel eſſentia quadam antifebrili tempore intermedio cum iisdem pulveribus per aliquot dies exhibitis, regulus antimonii medicinalis aliquoties paroxyſmo imminente ſub conveniente regimine propinatus negotium utplurimum conficit, quod ſi vero alterationes quædam febriles nihilominus recurrant, electuarium chinatum poſt abſolutum paroxyſmum ſufficienti quantitate ſingulo quadrihorio deglutitum morbum tantum non ſemper in ſolidum tollit. Cæterum morbi ſoporoſi alibi locorum cum his Febribus, præcipue in ſubjectis ætate grandibus frequenter complicati in febricitantibus noſtris paulo rarius occurrunt. Æſtate vero Anni 1738. *Febres tertianæ continuæ epidemicæ* bilioſa *diarrhœa* ſtipatæ ægrotis noſtris moleſtæ erant, vix ulli tamen mortem inferentes, ac cortici caſcarillæ cum pulveribus bezoardicis fixis adhibito cedentes. Æſtate in autumnum ſe præcipitante ſingulis annis

præter

præter *diarrhœas* varii generis *dyſenteria* ipſa homines quoque adoritur, utplurimum tamen ſatis benigne ſe gerens, ac eſum fructuum horæorum immaturorum vel nimis præcipitem potus frigidi corpore æſtuante ingurgitationem potius quam aëris vitioſam conſtitutionem pro cauſa agnoſcens, nec Febre inſigni ſtipata. Anno tamen 1709. prægreſſa hyeme ob inſolitum frigus per totam Europam famoſa, & Anno 1743., quo corpora hominum ab extraordinaria totius æſtatis ſiccitate colluviem bilioſam adcumulante exacuenteque ad malum hoc ſuſcipiendum prædiſpoſita fuerant, aliunde ad nos allata ſatis maligne epidemiceque & cum manifeſtis commotionibus febrilibus conjuncta graſſabatur, priori tempore per integros 3. menſes æſtivos in omnem ætatem, præcipue vero in juvenes ætate florentes tyrannidem exercens; poſteriore autem a menſe Julio in Novembrem uſque ſe extendens, infantumque inſigni ſtrage potiſſimum conſpicua. In civitatibus & pagis quibusdam vicinis tamen quam noſtro in oppido hac vice longe malignius ſe gerebat, ac in pleriſque ægrotis

noſtris,

noſtris, quibus ſtatim ſub initium radix Ipecacuanhæ, vel rhabarbarum pro re nata leniter toſtum exhiberi potuit, diaphoreticis fixis ſubadſtringentibusque & lenibus anodynis, præſertim diaſcordio *Fracaſtor.* quin & clyſteribus abſtergentibus & demulcentibus atque epithematibus ſpirituoſis & roborantibus cum diæta conveniente ſubjunctis debellabatur. Non pauci ſolo lactis bubuli vel hydrogalæ uſu continuato, aut oleo olivarum cum ſpiritu frumenti adſumto morbum ſine auxilio Medici ſuperabant, qui vero alio jamdum morbo laborabant, aut quibus vomitus cum frigore extremitatum vel ſingultu superveniebat, moriebantur; in nonnullis quoque œdemata remanebant, vel morbo adſtringentibus præmature ſuppreſſo hydrops ipſe inſequebatur. In juvene quodam 17. annorum hoc morbo defuncto & cultro ſubjecto totum canalem inteſtinalem ſphacelo correptum, & quoad inteſtina craſſa in ſuperficie ſua interna materia quadam putrilaginoſa rubente obductum reperimus, omento ſimul penitus putrefacto, indiciisque inflammationis in curvatura parva

va ventriculi itidem comparentibus. Dum vero hic morbus tragœdias ſuas luderet, omnes fere reliqui morbi acuti ſilebant. Hoc quoque notatu dignum & a Patre meo An. 1709. jam obſervatum fuit, quod ægroti quidam non lactis ebutyrati ſolum, ſed & acetariorum, braſſicæ ſale conditæ, aliorumque ciborum alias minime convenientium, inſolita tamen adpetitus vehementia deſideratorum eſu brevi convaluerint, eadem plane ratione, ac in Febribus intermittentibus contingere conſtat. Ad eandem claſſem dolores *rhevmatico-ſpaſmodici* & morbi *eryſipelatici* referendi ſunt, qui poſteriores tamen diaphoreſi paulo largiore mediante trito illo evporiſto Roob Sambuci infuſoque herbæ theæ, vel hauſtu vini calidi cinamomiſati & regimine exactiore tempeſtive excitata, haud facile ulteriori curatione indigent, niſi quidem, ut ſæpius accidit, aliarum Febrium acutarum præludia ſub illorum ſchemate lateant: in prioribus vero venæ ſectio revulſoria, vel, ſi ſubjecta ſero abundent, infuſum ſennatum; ac medicamenta diluentia diaphoreticaque fixa & antiſpaſmodica (in-

ter

ter quæ præter decantatum illum liquorem anodynum mineralem *Hoffm.* nitroſa & lumbricalia cum cinnabarinis haud dubie primas partes occupant) egregia ſunt, remediis externis nervinis roborantibus & demulcentibus minime omiſſis. Infantum vero morbi ſolemniores *diarrhœa, tormina abdominalia, vomitus, Febris verminoſa, oppletio pectoris aſthmatica* cum *tuſſi* aliisque *morbis catarrhalibus, cardiogmus, Achores, Scabies, Cachexia, Iſchuria, Atrophia, Rachitis*que ſunt, quorum primo loco nominati rhabarbaro, magneſiæ albæ, aliisque abſorbentibus & diaphoreticis fixis pro re nata cum extracto caſcarillæ aquoſo maritatis, nec non carminativis temperatioribus & magno tenellorum bono inventæ Tincturæ victrioli martis *Ludovic.* ac remediis externis roborantibus vel anodynis (inter quæ oleum Hyoſciami per expreſſionem paratum potiſſimum nobile eſt) clyſteribusque mitioribus cedunt: in reliquis vero præmiſſo vel interpoſito remedio quodam laxante rhabarbarino jalappinove cum mercurio dulci, ſi nihil obſtet, remixto, vel ſi copia muci in ventriculum deglutiti illud requirat, nec contrariæ indicationes concurrant, vomito-

mitorio mitiore; abſorbentia & diaphoretica fixa antiſpaſmodicaque, & demulcentia ac diuretica ſalina reſolventiaque nec non martialia (ſupra laudata Tinctura victrioli martis Ludoviciana vel & Zwelfferiana hic iterum chorum ducit) potiorem curationis partem abſolvunt. Eodem referri meretur *Ophthalmia* præcipue ſeroſa cum vel ſine tumoribus ſcirrhoſis *glandularum* ſalivalium majorum, quarum exſtirpationem teſtibus celeberrimis D. D. Collectoribus *novorum Actorum Erudit. Lipſ. An. 1743. menſ. Januar. p. 33. & ſeqq.* primus cum ſucceſſu inſtituit, aliosque docuit Vir tot aliis in totam, qua patet, rem Medicam meritis immortalem laudem dudum conſequutus, *Magnificus* D. D. HEISTERVS, Fautor & Patronus meus perpetuo honoris cultu proſequendus. Porro huc pertinent *Variolæ* & *morbilli* cum vel ſine *purpura miliari alba*, quæ & ſolitaria interdum ſatis maligne ſe gerit, & in quibus omnibus methodus illa ſanandi, quæ fit per diaphoretica fixa, præcipue pulverem Kantianum cum parte ſpecifici cephalici remixtum aliaque abſorbentia citrata & nitroſa, nec non mixturas diapnoicas & emulſiones

infu-

infuſaque theiformia lacte temperata, vel ſi æſtus acriter urgeat, liquores acidiuſculos cum moderato regimine diapnoico præ cunctis aliis nobis ſe probavit, venæ ſectione rariſſime & fere non niſi in adultioribus neceſſaria.

Quod *ſecundam* Claſſem concernit ex adultorum morbis ad eam referri merentur *Nephritis* præcipue arenoſa, quæ nec in puerulis adeo infrequens eſt, & in qua præter laxantia aliaque abſtergentia, demulcentiaque & diuretica temperatiora, præcipue ſalina, decoctum NephriticumFORESTI pulvisque a B.LENTILIO in *Eteodrom. Medic. practic. p. 24. & 190.* deſcriptus præclaræ virtutis comperitur. *Hæmorrhagia narium* vehementior, *Sputum cruentum* atque *Hæmoptyſis*, quæ ſi quid aliud liquor anodynus mineralis Hoffm. mixturæque e ſubcontrariis ad mentem SYLVII paratæ, vel pulveres temperantes & nitroſi, nitrumve ſolitarium in potu diligenter exhibitum, prævia venæ ſectione revulſoria innoxie compeſcunt. *Phthiſis* pulmonalis virorum, nam in fœminis præcipue jamdum menſtruatis paulo infrequentius hæc labes occurrit, ſicut illud alibi quoque ex. gr. Berolini obſervatum fuit, vid. *Act. Be-*

rolin. Dec. 2. Volum. 10. Part. 2. ubi conſpectus mortuorum ſiſtitur An. 1725. ibi defunctorum. In quibus vero ſubjectis ſaltem diſpoſitio ad hunc morbum præſto eſt, in illis ſerum lactis caprini, decoctum bromium *Lowerianum* & acidulæ Selteranæ lacte modo dicti animalis temperatæ, juſculaque ſucco herbarum pectoralium & aperientium præcipue naſturcinarum impregnata omnibus aliis palmam præripiunt. *Icterus*, qui ſicut in aliis morbis, ita in mulieribus hyſtericis quoque naturam excretionis criticæ non nunquam induit, euphoria & ſpaſmorum remiſſione inſequente, & in quo præmiſſo pulvere vel nodulo laxante rhabarbarino, curcuma, nitrum, tartarus victriolatus, antimonium diaphoreticum martiale, lumbrici terreſtres & Tinctura victrioli martis *Ludovic.* utique egregia ſe præſtant. *Hydrops* præcipue *Aſcites*, quo fœminæ ob negotium menſium facile turbandum, habitumque ſucculentiorem hic itidem ſæpius quam viri corripiuntur, ſpe reſtitutionis in pleriſque perexigua, ita ut efficaciſſima alias remedia ut ſunt: pulvis bufonum, millepedes, antimonium crudum, infuſio florum cyani ac curationes lixiviales ut plurimum

rimum incaſſum adhibeantur, licet interdum ad tempus non nihil levaminis adferant. *Oedema* autem in viris etiam non adeo inſolitum eſt, remedio cuidam purganti per totum curationis decurſum aliquoties iterando, ac eſſentiæ millepedum vel lumbricorum terreſtrium cum liquore terræ foliatæ tartari & tinctura antimonii acri remixtæ, ut & pulveribus ex antimonio diaphoretico martiali ſale abſinthii & tartaro victriolato paratis, atque Euporiſtis nonnullis, raphano ſcilicet ruſticano in juſculo carnis calido per aliquot ſeptimanas quotidie uſurpato, raſuræ vero bryoniæ externe cum linteaminibus calide applicitæ, interdum ſatis feliciter & ſine ulteriori incommodo cedens. Quando vero cum morbis pectoris hoc ſymptoma complicatur, cujus rei ratio a celeb. HEQVETO *Libr. I. de purgand. Medicin. a curar. ſordib. p. 81.* explicata fuit, venæ ſectio in brachio mature inſtituta interdum effectum haud contemnendum præſtat, quam venæ ſectionem pro diverſitate circumſtantiarum in brachio vel pede debito tempore factam, ut in tranſitu illud adnotem, etiam in pleriſque e reliquis adultorum morbis abundantiam ſanguinis vel e lon-

ginquo tantum pro cauſa materiali agnoſcentibus in hominibus noſtris maximam partem plethoricis & huic remedio non minus quam ſacrificationi adſuetis, ſi non curative, tamen præſervative admodum ſalutarem & neceſſariam reperimus. Porro huc pertinent *Febris lenta*, *Hectica*, *malum hypochondriacum*, acidulis præcipue Schwalbacenſibus fere unice expugnabile, *Apoplexia*, quam humida & calida potiſſimum aëris conſtitutione repente in aſperam & frigidam mutata ſubjectis ad eam diſpoſitis imminere nos quoque diverſis exemplis ſcimus, *Paralyſis* cum adfinibus, *Catarrhus ſuffocativus*, *Maraſmus ſenilis*, *Pleuritis ſpuria*, *Stranguria*, *Iſchuria*, *Cataracta* aliique *oculorum aurium*que morbi, in quibus licet interdum maxime rebellibus fonticulum in brachio lateris adfecti excitatum & curative & præſervative egregium eſſe poſt inclytum Haſſiæ noſtræ Machaonem B. D. D. HERTIVM ſeniorem alioſque nos itidem aliquot exemplis confirmatum habemus. Quod vero *difficultatem auditus* in ſpecie concernit, in ea, remediis univerſalibus præmiſſis, ope maſſulæ illius Stahlianæ, ex caſtoreo & ſale volatili ſuccini vel cornu cervi

confe-

confectæ, mira ſe præſtitiſſe mihi quondam referebat Medicus χαριέστατος & ob excellentem artis medendi notitiam reliquasque ingenii dotes longiore ſane vita digniſſimus B. D. D. TABOR. *Epilepſia* adultorum, *Arthritis* præſertim *vaga*, *morbus iliacus*, *Lienteria*, *Fluor albus*, *Scabies* aliæque cutis *efflorescentiæ* nulla febre typica ſtipatæ, in quibus ſerum lactis ſucco herbarum ſanguinem mundificantium impræguatum magneſiaque alba præ aliis efficacia pollent, *Vomica* pulmonum, *mictus cruentus*, *Febris lochialis*, *Febris papularis*, *tumores cyſtici* vel *ſcirrhoſi* variarum corporis humani regionum partiumque & *ulcera* diverſi generis. Ex infantum morbis huc referendæ ſunt *Aphthæ* & *convulſiones epilepticæ*, quæ ultimæ tamen apud nos longe minorem tenellorum ſtragem edunt, quam in tractibus quibusdam Rhenanis, ubi cum pertinaci & funeſto maxillæ inferioris ſpaſmo combinatæ ſub titulo Derer Wangen Stauppen ſatis male audiunt. Hic loci vero laxantibus, pulvere Marchionis cum magneſia alba, dente hippopotami, nitro, ſpecifico cephalico aliisque antiſpaſmodicis commixto, ut & liquore cornu cervi ſuccinato vel ano-

dyno minerali *Hoffm.* doſi & vehiculis convenientibus exhibitis clyſteribusque demulcentibus frequenter domantur.

Tertiæ Claſſi adjudicari debent: *Febres intermittentes compoſitæ*, *Febris miliaris* hominum adultorum præcipue puerperarum alibi locorum malignitate ſua epidemica ingens ſæpe damnum inferens, cujus tamen nunc in utroque ſexu ab aliquo tempore crebriora quam olim exempla hic & in vicinia noſtra quoque occurrunt. *Cholera*, *Hydrophobia*, in qua præcavenda oleum cantarellorum ſeu ſcarabæorum majalium ſtatim poſt morſum animalis rabidi cum lacte exhibitum, hic quoque hactenus egregie ſe geſſit, licet ſimul dolores veſicæ fere intolerabiles excitare ſoleat. *Herpes miliaris*, *Tympanites*, morbi *ſpaſmodici* univerſales, *Empyema*, *Fluxus hepaticus*, *morbus cœliacus*, *vomitus cruentus* virorum, *Diabetes*, *Hydrops pectoris* aliæque *Hydropis particularis* ſpecies, *malum iſchiadicum*, *Phrenitis* idiopathica, *Hæmorrhagia uteri* fœminarum non gravidarum, nam gravidas quod attinet plures earum ſimul in diverſis locis hic morbus inſtar mali epidemici interdum invadit, id quod de aliis gravidarum diffi-

difficultatibus itidem valet, & noxiæ cuidam aëris conſtitutioni non ſemper ſpecifice determinandæ tribui debere videtur, prout elegantiorum obſervationum Promus condus celeb. PECHLINVS *obſerv. Libr. I. Caſ. XXIX.* dudum ſuſpicatus eſt. *Strumæ*, *Lues venerea*, *Cancer*, *morbus niger* HIPPOCRATIS *Mania*, *morbi ſoporoſi* idiopathici, *Scorbutus*, *Angina ſanguinea* idiopathicaque, *Podagra*, in cujus paroxyſmis præcavendis vel ſaltem infringendis continuatus uſus decantati apud Gallos pulveris *Rhedingiani* ex radice ariſtolochiæ rotundæ veræ, rhabarbari Monachorum, gentianæ majoris luteæ, herba chamædryos, chamæpyteos & ſummitatibus centaurii minoris compoſiti re vera effectum haud contemnendum præſtat, ut a Medico primi ordinis, & Praxeos Medicæ Statoribus eo majore jure adſcribendo, quo præclarius hucuſque de tot ſummorum Principum aliorumque Procerum ſalute meritus fuit, *Magnifico* D.D. SACHSIO quondam percepi. *Calculus veſicæ*, cujus infrequentia a potu cereviſiæ præ vino apud nos uſitatiore deducenda videtur evolv. obſervatio CYPRIANI a B. HOFFMANNO *Medic. ration. Syſtem. Tom. 2. p. m. 383.*

 & 384.

& 384. allegata, *Pædarthrocace* & *maculæ volaticæ ſimplices* vel *epilepticæ* infantum, de quo morbo apud Scriptores Practicos rarius memorato peculiaris exſtat Diſſertatio Gieſſæ An. 1704. edita, recentiore vero ætate uberior ejus mentio in *Act. Berolin. Dec. 2. Vol. 10. Part. 1. p. 6. 11. & 12.* nec non apud illuſtrem D. D. BüCHNERVM in *Miſcell. Phyſic. Med. Mathem. Quadr. I. An. 1727. pag. 283.* injicitur.

Ad *quartam* Claſſem pertinent *Lepra* & *Elephantiaſis*, cujus generis morbos tamen ſeculis antecedentibus in hac regione frequentius occurriſſe teſtatur Leproſorium publicum cum adjuncto ſacello ante urbem noſtram adhuc conſpicuum. *Febris petechialis* ac denique *Peſtis*, utpote qua non niſi in tricennali illa Germaniæ calamitate bellica præcipue circa An. 1635. urbs noſtra adflicta fuit.

Et hæc pro inſtituti mei ratione dixiſſe ſufficiat, cujus utilitatem præter HIPPOCRATEM *Libr. I. de aëre aquis & locis* celeberrimus ejus in obſervandi ſtudio imitator BAGLIVVS *Prax. Med. Libr. I. Cap. XV.* ſolidis argumentis probavit, legatur quoque ſi placet celeb. LEN-

LENTILII *Jatromnem. Theoret. Pract. Part. I. Caput 78. de Phyſicatu.*

Vulnus arteriæ vertebralis dextræ abſolute lethale.

Fœmina quædam 48. annorum a marito ira percito cultro fortiore tali modo in ſuperiore colli parte vulnerabatur, ut aliquot paſſus adhuc a domo ſua progreſſa, poſt vehementes quasdam vociferationes editas ſanguinem ubertim profundens muta exanimisque concideret, ac poſt 2. vel 3. horæ quadrantes exſpiraret. Sectione cadaveris inſtituta ad 2. digitorum retro aurem dextram diſtantiam vulnus reperiebatur pollicem latum, per cutem & marginem muſculi ſternomaſtoidei ipſumque complexum & rectum poſticum majorem penetrans, cum arteriæ vertebralis ejusdem lateris ex foraminibus proceſſuum tranſverſorum vertebrarum colli in cavitatem cranii tranſituræ abſciſſione. Caput conſueto modo perveſtigatum ſingulas partes naturaliter conſtitutas exhibebat, præter quod pleraque meningum ac cerebri cerebellique & plexuum choroideorum vaſa exinanita & collapſa conſpicerentur, prout & in abdomine ac thorace reliquisque

que corporis partibus nihil inſoliti occurrebat, dextro cordis ventriculo adhuc paucillum, vena cava autem notabilem cruoris quantitatem continente. Supra indicatam arteriæ læſionem pro abſolute lethali declaravimus, quia ob inſignem vaſis læſi cum arteria vertebrali oppoſiti lateris ac utrisque carotidibus internis communicationem, non ea tantum ſanguinis portio, quæ per arteriam abſciſſam verſus cerebellum & cerebrum deſtinabatur, ſed etiam illa, quæ mediantibus carotidibus internis & arteria vertebrali ſiniſtra illuc conducta fuerat, per vulnus inflictum neceſſario effluere, adeoque ſanguinis in cerebro & cerebello potiſſimas arterias a vertebralibus accipiente defectus, Lypothymia ac denique totalis actionum vitalium ceſſatio inſequi debuit, malo ob ſitum reliquasque vaſis læſi conditiones jamdum incurabili, eo minus humanæ opis admittente, quo breviore temporis ſpatio a vulnere accepto mors vitæ finem impoſuit. Nec collegiis Medicis, quibus Acta tranſmiſſa fuerunt, Judicium ſuper lethalitate abſoluta hujus vulneris a nobis latum diſplicuiſſe inde colligere licet, quia occiſor pœnam ordi-

ordinariam poſt aliquod tempus ſubire coactus fuit.

Inconſtantia plurium ſignorum pro diſtinguendo ſexu in oſſibus allegari ſolitorum.

Fœmina teſte B. BOERHAAVIO *Inſtit. Med.* §. *659.* os ſacrum latius & magis extrorſum vergens, os vero coccygis plus retrorſum cedens, & oſſa innominata latiora, & plus a ſe invicem remota, atque inferius longe plus extrorſum verſa quam vir habere dicitur, ita ut ſimul quoque eminentiæ inferiores oſſis pubis magis extrorſum ferantur. Vidi tamen apud B. MAIVM ſceleta virilia, in quibus oſſa ilium æque, imo magis explanata erant, quam in ſceletis fœmininis, in his vero os coccygis ſæpe magis incurvum & introrſum cedens, quam in viris conſpexi, ut itaque in foro Medico, ubi non nunquam talia oſſa fortuito reperta Medico dijudicanda offeruntur, ſupra allegatis characteribus in ſexu individuorum determinando non ſemper nec ſolis fidendum ſit. Hoc vero conſtantis veritatis eſſe reperi, quod angulus a concurſu oſſium pubis formatus in fœminis major & minus acutus quam in viris ſit.

Men-

Menſium vicaria evacuatio per varices pedum.

Fœmina aliquot liberorum mater, in media ætate conſtituta, ſtaturæ ſatis proceræ, habitus corporis carnoſi & ſimul ſtrictioris, in diæta ſatis lauta vivens, pluribus annis æſtatis potiſſimum tempore menſium defectu non nunquam laborabat, ſine tamen inſigni ſanitatis detrimento, nam modo in dextro, modo in ſiniſtro pede ramus venæ ſaphenæ varicoſus ſponte ſe aperiens ſanguinem copioſum fundebat, per vias menſium ordinarias alias evacuari ſolitum.

Inſignis cranii læſio ſanata.

Vir 50. incirca annorum, conditionis tenuioris, habitus corporis macilenti, coloris faciei ſubfuſci, potui ſpirituoſo nimis indulgens de tecto domus cujusdam altitudine 20. minimum pedum ſupinus decidebat in aream ceſpite obductam, ita ut ſanguis copioſus ſtatim e naribus & utraque aure efflueret, ipſeque per aliquod tempus immotus jaceret. Levatus dein domumque revectus continuo ſopore tenebatur, nec excitatus ad quæſtiones congrue reſpondere valebat, vulnere quodam cutis & pericranii

nii in occipite prope concurſum ſuturæ lambdoideæ & ſagittalis poſt capillorum abſciſſionem comparente. Sine mora venæ ſectionem largiorem in brachio inſtituere juſſimus, & quia ex ſupra indicatis ſymptomatibus ingens concuſſio cerebri & læſio cranii rupturaque vaſorum ſub eo latentium præſumebatur, poſt vulnus inciſione dilatatum cranium ſollicite examinavimus, in quo tamen nulla fiſſura aliave læſio reperiri poterat. Vulnere itaque deligato præter ſacculos diſcutientes in vino coctos & poſt expreſſionem factam calide diligenter adhibendos præſcribebantur pulveres nitroſi abſorbentes cinnabarini cum decocto vulnerario ex radicibus & herbis reſolventibus & travmaticis, præſertim vero ex herba Arnica *Schrœder.* ob egregiam ſanguinem congrumatum reſolvendi virtutem dudum celebrata compoſito, non neglectis regimine & diæta conveniente. Singula quoque ſtatim ſymptomata remittebant, vulnusque feliciter in ſuppurationem ibat, poſt aliquot tamen ſeptimanas dolor capitis recurrebat immanis cum febre vulneraria, tumorque ovi gallinacei magnitudine poſt aurem dextram adparebat, qui apertus incredibilem ſaniei

quan-

quantitatem cum fiſſura cranii præcipue oſſis temporum inſigni per totam ejus latitudinem, qua patebat; decurrente, purulentamque materiam itidem emittente oſtendebat, præterea ſutura lambdoidea ſub prædicto integumentorum vulnere ab invicem ſeceſſerat, ita ut ultra pollicis tranſverſi profunditatem ſtilus inter cranium & duram matrem ſine incommodo ægroti a Chirurgo, proprio motu illud tentante, immitti potuerit, pulſusque arteriarum duræ matris diſtincte conſpiceretur. Poſt tumoris aperturam omnia in melius vergebant, ægerque vulnere utroque exterius balſamicis ſpirituoſis tractato, ac remediis internis continuatis, poſt aliquot ſeptimanas ſtabili ſalute potiebatur, aliquali licet capitis debilitate remanente, quæ quum vulneratus poſt aliquod tempus ſimile priori infortunium expertus fuiſſet, inſigne incrementum cepit.

Mors laqueo ſuſpenſorum.

Eos qui laqueo vitam finiunt, ſola fere ſuffocatione & apoplexia artificiali, per compreſſionem vaſorum colli præcipue venarum jugularium, refluxum ſanguinis ex cerebro impedientem inducta

mori,

mori, medullamque ſpinalem æque ac vertebras colli vix aliquam a carnifice vim pati, plura comprobant apud ROLLFINCIVM *Diſſert. Anat. Libr. I. Cap. 3. p. 44.* CAMERARIVM *Syllog. memor. Med. centur. 7. obſ. 38. 39. & 40.* & WEPFERVM *de Apoplex. p. 181. & ſeqq.* exempla eorum, qui ſemimortui a ligno infauſto liberati vitæ ac ſanitati reſtituti fuerunt, ipſeque An. 1735. vidi militem Argentorati ſuſpenſum, poſt quadrantem vero horæ rupto ob violentiam alterius carnificis pedes ſuſpenſi trahentis laqueo, de patibulo delapſum, qui quum ab adcurrente Sacerdote Legionario ope liquoris ſpirituoſi naribus admoti refocillatus fuiſſet, erectus ſtabat, gratiamque judicis crebrius, utut incaſſum implorabat, ſecunda vice ſcalam patibuli aſcendere & mortis pœnam ſubire coactus, id quod vi principiorum Phyſiologicorum fieri nequiviſſet, ſi vertebræ colli ac medulla incluſa violatæ fuiſſent. Memini quoque a B. MAIO me audiviſſe ipſum plures, quibus gula laqueo fracta vitaque ademta fuerat, diſſecaſſe, in quorum vertebris vix aliquid præternaturalis obſervari potuerit, niſi quod in nonnullis ligamenta proceſſus odontoidei ſecundæ colli vertebræ paululum diſtracta conſpicerentur. Signum itaque quod in

 Medi-

Medicina forenſi a luxatione vel fractura vertebrarum colli in laqueo ſuſpenſis deſumitur, infirmo admodum ſtat talo, eaque deficiente non ſtatim ſequitur defunctum alio mortis genere obiiſſe, præcipue ſi reliqua ſuſpendii & ſuffocationis indicia ſe exhibeant. Quod ſi vero ejusmodi vertebrarum luxatio unquam in ſubjecto laqueo peremto obſervata fuit, prout illud abſolute negare minime volo, vix tamen alibi quam inter primam & ſecundam colli vertebram hoc contingere poterit, utpote quarum primo loco nominata, teſte autopſia Anatomica, ob defectum corporis proprii hujusve cum corpore proxime inſequentis vertebræ concretionis, proceſſusque obliquos inferiores illius oblique horizontaliter ſuper proceſſus obliquos ſuperiores epiſtrophæi locatos motu omnium liberrimo gaudet, adeoque in luxationibus colli ab aliis cauſis inductis fere ſemper ſola quoque dislocata deprehenditur. Sic nuper admodum in fœmina quadam mediæ ætatis, quam maritus ad iram ab ipſa concitatus, ſecundum relationem adſtantium capillis arripuerat, altera manu in pugnum contracta bis vel ter nucham ejus ita percutiendo, ut paucos adhuc paſſus progreſſa in terram muta exanimisque conci-

cide-

cideret, & poſt ſemihorulæ ſpatium exſpiraret, primam & ſecundam colli vertebram ab invicem eouſque ſejunctam reperi, ut digitus interponi, caputque cum adhærente prima vertebra ſine impedimento verſus dorſum cadaveris circumduci potuerit, medulla ſpinali & vaſis ſanguiferis adjacentibus nullo vitio ſolutæ unitatis adfectis, licet vaſa piæ matris prope modo dictam medullam æque ac in tota cerebri mole eouſque ſanguine diſtenta fuerint, ut minutiſſima quoque vaſcula capillaria in conſpectum venirent, tam eleganter, quam vel tenuiſſima injectione Anatomica unquam effectum fuiſſe novi, qualem vaſorum cerebri diſtenſionem iis familiarem eſſe, qui gravem cerebri commotionem perpeſſi fuerunt, ex obſervationibus in *Act. Berolin. Dec. 2. Volum. 3. p. 51.* & apud BLEGNVM *Zodiac. Gallic. An. 4. Menſ. Febr. obſ. 5.* deſcriptis conſtat, ipſeque in viro quodam ictu lapidis in capite graviſſime vulnerato, & die 40. poſt læſionem ex propria & Medicaſtri, quem adhibuit, negligentia & ignorantia defuncto ante aliquot annos obſervavi. In prædicto ſubjecto fœminino, cujus læſionem ob inevitabilem concuſſionem & compreſſionem principii medullæ ſpinalis & vaſorum vertebralium, ac termini vitæ poſt

 pla-

plagas acceptas brevitatem pro abſolute lethali declaravi, præter plexus cerebri choroideos undique hydatidibus obſeſſos, veſicula quoque fellea copioſiſſimis calculis flavis, anguloſis, friabilibus repleta erat, quorum majores ad avellanæ magnitudinem proxime accedebant, quale quid ante plures jamdum annos a Patre meo in fœmina quadam ſub partu poſt vomitum humoris fuliginoſi defuncta itidem conſpectum fuit, in cujus veſicula biliari continebantur copioſiſſimi lapilli minoris molis & ſolidioris conſiſtentiæ colorisque nigricantis, ſemina ceparum forma referentes.

Conſenſus parotidum cum oculis.

PLATERVS *Obſerv. Libr. I.* exemplum refert maculæ cum rubore in pupilla curatæ, ſed in tumorem circa mentum ultimo ſuppurantem degenerantis, & apud nos, ut ſupra dictum, haud infrequentes ſunt ophthalmiæ cum tumoribus ſcirrhoſis parotidum vel glandularum maxillarium conjunctæ, non prius ſine metu recidivæ cedentes, remediis licet convenientibus adhibitis, quam iſti reſoluti (quod teſte multiplici noſtra aliorumque experientia utplurimum difficile & interdum impoſſibile eſt) vel ſuppurati aut Chirurgi manu penitus

tus exſecti fuerint. Neque ratio hujus rei adeo e longinquo petenda erit, conſtat enim ex Anatomicis, quod arteriæ ad oculos & glandulas ſupra memoratas decurrentes in utroque latere unius ejusdemque trunci ſubalterni, carotidis nempe externæ ſoboles ſint: ſanguinis itaque progreſſu per glandulas lento humore obſtructas impedito, non poterit non ille in majori copia ad reliquas partes, quæ ab iisdem carotidibus ramos accipiunt, adeoque etiam ad oculos adpellere, ibidemque in vaſculis diſtentis ſtagnando, ob particulas impuras per oſcula venarum lymphaticarum & ſanguiferarum e tumore illo continuo reſorptas eique admixtas acrimoniam ſucceſſive contrahere & tunicas oculorum admodum ſenſibiles vellicare, eoque ipſo majorem adfluxum & graviora ſymptomata excitare. Quum e contrario hæmorrhagia inſignis & congeſtio ſuppuratoria exſtirpationem cultro factam inſequens omnino ſalutarem revulſionem ad minimum ad tempus efficiat, humores ab oculis ad collum revocando, vaſculisque eorum depletis priſtinum elaterem recuperandi occaſionem præbendo. Idem conſenſus vaſorum cauſam ſuppeditat, cur adplicatio hirudinum retro aures, vel ſectio venarum jugularium externarum,

 quam

quam FABRICIVS Hildanus tantopere commendavit, imo ipſarum arteriarum temporalium inciſio in ophthalmia nonnunquam commodum haud ſpernendum adferat. Aliquot ejusmodi tumores exſectos examinandi occaſionem nacti eorum ſubſtantiam ſimilem ei, quam ubera vaccina cocta habent, reperimus, in medio nucleum quendam tophaceum friabilem continentem, quale quid a DOVGLASSIO Anatomico & Chirurgo Anglo in tali tumore poſt mortem ſubjecti demum exſecto teſtibus *Nov. Act. Erud. Lipſ. An.* 1707. *Menſ. Febr. p.* 82. *& ſeqq.* quoque obſervatum fuit. De iisdem aliarumque glandularum colli tumoribus ſcirrhoſis veriſſimum deprehenditur illud MORTONI *Phthiſiol. Libr.* 3. *Cap.* 1. *p.* 83. effatum a B. VALENTINI *Chirurg. Med. Sect.* 2. *p.* 143. confirmatum, quod ii, qui tumoribus ſcrophuloſis frequenter obnoxii ſunt, non raro ſimilibus tuberculis in ipſis pulmonibus aliisque viſceribus adficiantur, & quod ipſi obſervavimus, Phthiſi vel ſuffocatione ſubitanea demum moriantur. Quibus autem viſcera ſalva manent, & ætas minus provecta eſt, illi annis pubertatis adpropinquantibus interdum ſanitatem ſponte recuperant. In nonnullis ſubjectis ejusmodi tumores

mores etiam admodum inveteratos emplaſtro de Cicuta & de Galbano crocato *Mynſicht.* in parte æquali commixto & mediante oleo ſcorpionum malaxato, ac per aliquot ſeptimanas impoſito feliciter diſcuſſimus, venæ ſectione ſimul in pede inſtituta, atque remediis internis reſolventibus & diluentibus itidem in uſum vocatis: ſuppurationem vero, quam plerique e probatioribus Auctoribus Chirurgicis, præcipue in valetudinariis, vehementer quoque diſſuadent, tantum in pauciſſimis, & quidem ſub applicatione modo dictorum remediorum diſcutientium ſponte obortam, ex voto ceſſiſſe novimus.

Cranium vetulæ ulceribus undique perfoſſum cute exterius illæſa.

Vetula, quæ, dum vivebat, chronico capitis dolore excruciata fuerat, cultro Anatomico in theatro Argentinenſi ſubjecta remotis integumentis, in quibus nihil præternaturalis conſpiciebatur, cranium oſtendebat undique ulceroſum, ita ut mediante ſtilo ipſa dura mater denudari & tangi potuerit, cujus mali originem inſignia condylomata in genitalibus manifeſtabant.

Vis imaginationis fœminæ prægnantis in fœtum.

Nævi infantibus ab imaginatione fortiore matrum gravidarum conciliati a FABRICIO Hildano *Centur. 3. Obſ. 55. & 56.* BORELLO *Centur. 3. Obſ. 49.* & *Centur. 4. Obſ. 74.* nec non celeb. D. D. VERDRIESIO Præceptore meo poſt fata colendo *Comment. de Æquilibr. ment. & corp. p. 166. & ſeqq.* aliisque diligenter adnotantur, nec apud nos adeo rari occurrunt. Vt enim nihil adducam de notis ceraſi vel mori fructum æmulantibus diverſique coloris maculis, quas tenelli quidam matrum immodicam concupiſcentiam luentes in mundum protulerant, fuit hic ſuperioribus annis fœmina, quæ graviditatis tempore vitulum recens mactatum, cui præ foribus lanionis ſuſpenſo inteſtina ex abdomine propendebant, intenſius adſpexerat, brevique poſt enixa eſt puellum mortuum portentoſa hernia ſcrotali adfectum, in cujus ſacco Chirurgi manu aperto pleraque inteſtina extra abdomen prolapſa deprehendebantur. Exemplum vero Atreſiæ incurabilis ob inteſtini recti inſertionem in vaginam uteri, a matris gravidæ in nates lapſu, indeque concepto terrore obortam, ante paucos annos habuimus. Hoc tamen admiratione dignum

dignum potiſſimum videtur, quod ejusmodi impreſſiones in prægnantium imaginationem factæ adeo fortes quandoque ſint, ut non ſolum in partum proxime ſequentem, ſed etiam in ſubſequentes vim ſuam exſerant. Ita apud nos adhuc vivit fœmina, quæ graviditatis tempore ex adſpectu mendicantis, labio leporino defœdati, graviter perterrita infantem enixa eſt ſimili malo adfectum, quo ob ſuperiorem maxillam ad palatum uſque diviſam indeque ortam mammas maternas ſugendi adynamiam poſt aliquot menſes defuncto, poſt aliquot annos iterum imprægnata ſine prævio ulteriore objecti ingrati adſpectu infantem peperit priori quoad vitium maxillæ & termini vitæ brevitatem ſimillimum. Interdum vero tales ſe exhibent in recens natis defectus, quorum ratio ex imaginatione matris deduci minime poteſt, ſed in primo fœtus rudimento quærenda eſt, ſive jam doctrina *Lœwenhœckiana* de hominis ex verme exortu arrideat, ſive aliorum ſententia, de rudimento fœtus in ovulo materno præexiſtente magis placeat. Sic in vicinia noſtra degit fœmina vegeta nullo oculorum vitio laborans, viroque nupta itidem oculis minime capto, & quæ toto graviditatis periodo nullo terrore vel

alio inſigni animi affectu perturbata fuit, cujus nihilo minus filia primogenita a nativitate cœca eſt, altera vero, quam ſecunda vice imprægnata peperit, nullis oculorum vitiis adfligitur, & tertius quartusque infans priori quoad oculorum labem ſimillimus eſt, quinto iterum nullo oculorum morbo adfecto. Præterea 4. infantes ſucceſſive hic loci in lucem editos novimus, inſigni gravitate auditus per totam vitam adfectos, licet eorum parentes de hoc malo nunquam conqueſti fuerint, ſicut ab aliis quoque conjugibus perfecte ſanis hic generati fuerunt aliquot infantes omnimodo ſurdi, & ſimul impotentia vel ſaltem aliquali difficultate loquendi per totam vitam notabiles.

Notamina circa trepanationem.

Quid in adminiſtratione hujus maximi momenti operationis obſervandum ſit a Scriptoribus rei Chirurgicæ & præcipue ab illuſtri D. D. HEISTERO *Introd. in Chirurg. Edit. Germ. An. 1731. p. 465. & ſeqq.* adcurate indicatum fuit: hoc vero dolendum eſt, quod licet illa ab experientiſſimis Chirurgis adminiſtretur, frequentius tamen vulnerati moriantur, quam ſalvi evadant, prout tantum non omnes, in qui-

quibus celeberrimus le MAIRE, dum Noſodochium Argentinenſe militare frequentarem, operationem hanc faciebat, fato ſuccubuiſſe memini, licet hoc quidam abuſui liquoris ſtyptici *Lemeriani* acrimonia ſua victriolica meningibus infeſti, quam aliis cauſis tribuere maluerint. Vt itaque ſupra laudati D. D. HEISTERI monitum, de non nimis procraſtinanda quidem, ſed nec temere & ſine urgentibus rationibus ſuſcipienda hac operatione non ſatis inculcari queat, ne re minus feliciter ſuccedente, vulneratoque moriente, defenſoribus inquiſiti nodum in ſcirpo haud raro quærentibus cavillandi occaſio uberior præbeatur, cujus modi exempla in praxi ſubinde occurrunt. Præcipue, quum ea hujus operationis natura & conditio ſit, ut pro diverſitate individuorum variæ & haud prævidendæ difficultates interdum occurrant, quæ in arte exercitatos quoque, niſi uberiore ſcientia Anatomica inſtructi ſint, morari queant, prout v. gr. ſuturæ cranii vel plane deficientes vel duplicatæ, cujus utriusque phœnomeni aliquot in collegio oſteologico exempla B. MAIVS nobis quondam exhibuit, & apud SCHENCKIVM *Libr. I. de cranio obſ. 1.* quoque leguntur, erroris committendi anſam præbere poſſunt,

ſunt, ut de inæquali cranii craſſitie ab illuſtri WINSLOWIO *Expoſit. Anatom. Tom. I. §. 185.* dudum adnotata nobisque pluribus exemplis in Theatro Argentinenſi confirmata, nihil proferam. An vero inſtitutum D. GARENGEOTII (*Traité des operations Tom. I. præface p. XVI. & XVII.*) aliorumque quorundam Gallorum ſuper ipſas ſuturas cranii & ſinus ipſius duræque matris trepanum admoventium interdum cum emolumento ægroti conjunctum ſit, & an noſtratibus quoque Chirurgis utplurimum in Anatomicis minus verſatis commendari mereatur, item an hac operatione in ancipiti tali caſu neglecta vulneratoque moriente, Chirurgus oſcitationis accuſari, & ex hoc ſolo capite vulneris lethalitas abſoluta in dubium vocari poſſit? ego quidem affirmare vix auſim, licet mihi aliquot crania oſtenſa fuerint, in quibus tempore noviſſimæ obſidionis Philippo-burgicæ Chirurgus Pariſienſis PETITUS junior ſuper ſuturam ſquamoſam oſſium temporis & in medio oſſis frontis hanc operationem inſtituerat.

Hernia inguinalis hæreditaria.

Vir 40. circiter annorum, potui ſpirituoſo frequenter indulgens, habitusque corpo-

corporis non nimis obeſi tuſſi vehementi & dyſpnœa cum febre lenta corripicbatur, a quibus tandem liberatus narrabat ſe a tuſſi potiſſimum ſibi exitium timuiſſe, ob herniam inguinalem, qua ab initio annorum virilium in altero latere laboraverit, ita ut ſubligaculo continuo opus habuerit, licet nullius violentiæ perpeſſæ aliusve cauſæ externæ ſibi conſcius ſit, eſſe enim hoc malum familiæ ſuæ hæreditarium patremque æque ac patruum eodem ætatis articulo hac labe correptos fuiſſe. Ex reliquis circumſtantiis, quas rogatus indicabat, perſpiciebatur, malum hoc omento per annulum muſculorum abdominalium relaxatum cum peritonæo prolabenti deberi.

Paraphymoſis.

Puellus recens natus vividus, cæteraque ſanus, matre nullius terroris perpeſſi aliusve fortioris impreſſionis in imaginationem graviditatis tempore factæ ſibi conſcia progenitus, mentulam oſtendebat male conformatam nam glans plane denudata & incurva erat, præputio in inferiore ejus parte deficiente, ſuperius vero & ad baſin coronæ glandis maximopere luxuriante, frenulum autem non adeo inſigniter tendebatur. Circumſtantiis perpenſis, nec opera-

operationem, quæ in Paraphimoſi connata, nec eam, quæ in brevitate frenuli adminiſtrari ſolet, hic locum habere judicavimus, ſed adhibitis remediis externis emollientibus ætatem adultiorem, quæ interdum ſola hoc malum emendat, expectandam eſſe diximus.

Mors ſubitanea a nimia pinguedine & motu vehementiore.

Fœmina quædam in cœlibatu vivens, conſiſtentis ætatis, habitus corporis inſigniter obeſi, de præcordiorum anguſtiis, cephalalgia & inſomniis aliquamdiu conqueſta, ac cogitationibus de apoplexia & morte inſtante indulgens, data forte occaſione ad choream invita ducebatur, aſt vix aliquoties violenter circum ducta lectum haud procul adſtantem vertigine correpta petebat, & concidens animam exhalabat. Cadaver a cervice ad genua uſque livore obductum reperiebatur, caput vero apertum inter cerebrum & piam matrem præcipue circa baſin dextri hemiſphærii & prope cerebellum, ingentem ſanguinis extravaſati, coagulati, & nigricantis copiam monſtrabat e vaſculis vicinis diſruptis effuſam, in tribus anterioribus cerebri ventriculis ſimul multum ſeri comparente. In

thora-

thorace & abdomine omnia vaſa majora ſanguine ſpiſſo & nigricante turgebant, prætereaque nihil inſoliti inveniebatur, niſi quod viſcera pinguedine undique obducta eſſent, ex quibus indiciis patebat miſeram apoplexia, quæ a ſanguinis ſpiſſioris per vaſa capillaria, a nimia pinguedine compreſſa, impedite circulantis concitatione procurata fuerat, obiiſſe.

Carnes luxuriantes utriusque palpebræ dextri oculi curatæ.

Vir juvenis 36. ætatis annum agens, habitu corporis firmo & procero præditus, infelici globuli ſcloperarii majoris verſus metam emiſſi repercuſſione in cantho exteriore dextri oculi ita feriebatur, ut in terram proſterneretur, effluxusque humoris albuminis ovorum ſimilis ex oculo adfecto & pupillæ obſcuratio cum febre vulneraria inſequerentur. Vulnerato ut artis eſt, tractato ſingula ſymptomata febrilia doloresque partis læſæ remittebant, ex utriusque tamen palpebræ ſuperficie interna oculi adfecti ſucceſſive propullulabat maſſa quædam rubicunda glanduloſo-carnea ad pollicis fere latitudinem, horridum iſtius oculi adſpectum efficiens, & palpebrarum mutuam adpropinquatio-

nem

nem impediens, quæ quum diſcutientibus per aliquot menſes adhibitis cedere nollet, nihil remedii ſupereſſe videbatur, quam ut ferro vel remediis corroſivis debita cum cautione adhibitis exſtirparetur, ſaltem deformitatis imminuendæ gratia, quum viſus reſtituendi exigua ſpes reſtaret, pupilla maximopere conturbata, bulboque oculi ſe in minorem naturali molem contrahente. Alius etiam Medicus ſcientiæ Chirurgicæ laude alias inſigniter florens, in conſilium ſimul adhibitus eadem ſentiebat, qui tamen malum pro ſolo tumore inflammatorio tunicæ albugineæ poſtea declarabat, adeoque aqua quadam vulneraria negotium expedire adgrediebatur, irrito licet cum ſucceſſu. Nam ultra ſemeſtre temporis intervallum adplicitum remedium nihil effecit, carnesque illæ luxuriantes a Chirurgis noſtratibus & alio quodam multæ experientiæ viro e vicinia accerſito in inferiore quidem palpebra ope lapidis infernalis & mercurii præcipitati rubri caute & per vices adplicati, & ſtatim poſt eroſionem peractam tepida iterum abluti; in ſuperiore vero forſice feliciter exſtirpatæ fuerunt, filo duplicato ope acus per excreſcentiam ſuperiorem prius transducto. Cæterum expe-

experientiæ omnino conſentaneum eſt, palpebras interdum adeo inflammatione turgere, ut ipſarum facies concava excreſcentiæ ſpeciem præ ſe ferat, quo caſu acria & corroſiva remedia utique noxia ſunt, de qua re apud Petr. Matth. ROSSIVM *Obſ. Chirurg. 9.* plura leguntur.

Hippuridis Dillenianæ flos & fructus deſcriptus.

Celeb. D. D. DILLENIVS *Catal. Plant. Gieſſ. Append. p. 88.* grana illa ſeſſilia intra foliorum aut ſetarum Hippuridis fœtidæ concavitatem conſpicua pro ſolitariis, adeoque floridis potius quam ſeminalibus interpretatur, re vero microſcopio, imo vel nudo oculo curatius examinata patet, ea duplicis eſſe generis, & per paria locari, ita ut ſingulo dilutius luteo & orbiculari ac friabili (quod apicis ſtamine deſtituti vices ſuſtinere merito ſtatuitur) aliud adponatur coloris obſcurioris, figuræ magis oblongæ, in ſummitate 4. vel 5. obtuſis & brevibus cuſpidulis donatum, conſiſtentiæque ſolidioris & duræ, verum corpus ſeminale conſtituens. Quam ob cauſam hoc genus Dillenianum a cryptogamiis, quibus Excell. LINNÆVS in *Syſtem. Natur. p. 32.* illud adſcripſit, jure aufer-

aufertur, & monandriis monogyniis illius potius adjungitur, id ipſum cum Hippuride Linnæana combinando.

Hymen.

Celebris in ſcholis Medicorum controverſia de hymene fuit, cujus tamen, utut non in omnibus virginibus exiſtentiam recentiorum unanimis fere conſenſus denique confirmavit. Ipſeque in theatro Argentinenſi duabus vicibus illud conſpexi. In primo ſubjecto, puella vix pubertatis annos ſupergreſſa, circulus membranaceus orificium vaginæ uteri claudebat, in medio ita perforatus, ut vix digitum admitteret, valvulam ſic dictam pylori haud male referens: in altera adultiore virgine circulus non integer, ſed dimidius tantum in vagina conſpiciebatur, quæ duo præparata in Theſauro Anatomico modo indicatæ urbis harum rerum f.) ditiſſimo adhuc, ni fallor, adſervantur. Illo-

f.) *Ex. gr. ſceletorum 11. vel 13. in utroque latere coſtis præditorum, ſterni a venis mammariis internis perforati, coſtæ ex 2. aliis coalitæ, ſed cartilagine bifida inſtructæ, cranii hominis ſalivatione mercuriali aliquot ante mortem annis tractati, quod menſæ alliſum copioſa mercurii vivi grana ſuper eam relinquit &c.*

Illorum vero Auctorum apud celeb. D. D. ALBERTI *Jurisprud. Medic. Tom. I. Part. 1. Cap. 3. §. 6.* allegatorum ſententiam ruinoſo fundamento inniti comperi, qui caruncularum myrtiformium integritatem pro ſigno illibatæ virginitatis habent, utpote quas in fœminis maritatis tantum non omnibus imo aliquando in puerpera quadam, quæ plurium liberorum mater fuerat, magnitudine & rubore inſignes notavi. Meliora quoque de harum caruncularum exortu & natura ab illuſtribus viris D. D. HEISTERO (*Compend. Anatom.*) & WINSLOWIO (*Expoſit. Anatom.*) jam publicata fuerunt.

Caput infantis mortui in utero materno ab obſtetrice relictum, ſed medicamento ſternutatorio puerperæ exhibito excretum.

Vna e maximis parturientium difficultatibus eſt capitis infantilis in utero materno remanſio, ita ut ad illud extrahendum complures ab harum rerum peritis excogitandæ fuerint encheiriſes & inſtrumenta. Interdum vero his poſterioribus ſuperſedere poſſumus capite ſola obſtetricantis manu arrepto & extra-

 cto,

cto, cujus rei notabile apud VIARDEL. *Cap. 32. Obſervat. de part. mulier.* exemplum occurrit, utut figura adjuncta rem non adeo apte exprimat; vel utero materno ope clyſteris per anum tempeſtive injecti ex conſenſu cum inteſtino recto ad nova molimina excretoria exſtimulato, quod ab eodem Auctore vid. *Cap. 34.* libri modo allegati aliquando feliciter peractum fuit. Mihi ipſi quoque exemplum conſtat primiparæ, ex cujus utero fœtus intra eum demortuus ab obſtetrice extrahebatur, capite remanente, quod nihilominus remedio quodam ſternutatorio ad imitationem VERZASCHÆ, qui illo teſte *obſervatione* ejus *27.* in ſecundinis eliminandis feliciter utebatur, puerperæ exhibito brevi poſt ejiciebatur. In alia caput infantis relictum tandem in putrilaginem abivit, & cum multo ichore per partes ſponte excretum fuit, puerpera tunc temporis ſalva evadente. Quodſi muſculus uteri orbicularis RUYSCHII extra controverſiam exiſteret, ratio hujus rei adhuc facilius explicari poſſet, adſeverare tamen queo, me in pluribus ſubjectis meo tempore in Theatro Argentinenſi diſſectis, eum ſemper fruſtra quæſiviſſe. Memini quidem in utero fœmi-

fœminæ quarto graviditatis menſe ex abortu defunctæ a B. MAIO nobis monſtratas fuiſſe circa fundum illius fibras quasdam orbiculares muſculoſis ſimiles, quæ vero adcuratiore examine inſtituto non in ſubſtantia uteri hærere, ſed laminæ exterioris tunicæ chorii utero arctius adnatæ reliquiæ eſſe videbantur. Cæterum nulla utique Chirurgiæ pars eſt, ut a diverſis Scriptoribus jam adnotatum fuit, in qua plura exempla tentaminum funeſtorum occurrant eorum, qui huic negotio tractando vulgo adhibentur, (obſtetrices ac Chirurgos peritos, & qui tanti momenti rem debita cum circumſpectione tractant, licet ob circumſtantias concurrentes ſpei votique non ſemper compotes fieri queant, adeoque ad aſperiora remedia itidem arripienda ſubinde cogantur, hæc & ſequentia non tangunt) quam in iſto hominem in dias luminis auras producendi artificio. Licet enim in eo adhuc ſatis experti ut plurimum ſint, ut fœtum vivum & naturali modo naſcentem gremio excipiant, vel eundem mortuum matre utcunque ſalva uncis ſuis ex utero protrahant,

quum vix ullum mihi conſtet exemplum puerperæ una cum fœtu perditæ, quanquam nonnullas earum nimis violenta operis tractatione ruptura perinæi adflictas fuiſſe, vel ob ſecundinas non ſat cito protractas aliquot poſt partum diebus demum obiiſſe noverim; ſolis tamen manibus vel aliis inſtrumentis innoxiis, infantem ex ſitu re vera præternaturali in naturalem tempeſtive reponere, illæſumque, ſalva ſimul matre, extrahere, in quo teſtibus omnibus in hac arte peritis apex ejus conſiſtit, his hominibus raro, ne dicam rariſſime, ſuccedit, nimis frequentibus potius, præcipue apud eas, quæ ruri degunt, puerperas exemplis proſtantibus infantum irrationali & incauta inſtrumentorum applicatione lethaliter ſauciatorum, vel ſtolido obſtetricum molimine, quæ eos brachio primum prodeuntes tali ſitu extrahere conabantur, in inevitabile periculum mortis itidem conjectorum.

Viſcerum concretio præternaturalis.

Puer ætati infantili proximus, indolis ſatis vivacis, pertinaciſſima & omnem medelam eludente alvi obſtructione cum vomitu & abdominis inflatione ex improviſo correptus circa 12. morbi diem morie-

moriebatur, qui quum paucis ab obitu horis privato conſilio diſſecaretur, omentum oſtendebat undique corruptum, totumque inteſtinorum canalem flatibus diſtentum, ventriculus vero & inteſtinum colon æque ac lien ſigna inflammationis exhibebant. Inteſtinum ileum 4. vel 5. digitos ſuper ejus in cœcum inſertionem ſphacelus & nigredo intenſiſſima corripuerant, ipſo ſimul repetitis vicibus mediante ſubſtantia quadam cellulοſa cum inteſtino colo ſuperficie ſua externa ita coagmentato, ut plures ſacci ab eo formarentur progreſſum excrementorum impedientes, qui tamen haud difficulter ab invicem trahendo ſeparari, & in rectum ac cum reliquis inteſtinis continuo, ut naturaliter fieri ſolet, tractu decurrentem canalem diduci poterant. Singula inteſtina tenuia ſupra locum concretionis liquore luteo fœculento repleta erant, in colo autem pauca tantum ſcybala ſolidioris conſiſtentiæ reperiebantur. Vaſa ſanguifera & glandulæ meſenterii valde turgebant, reliquis abdominis viſceribus naturali modo ſe habentibus. Thoracem & caput aperire ſupervacaneum duximus, cauſa mortis manifeſta. Parentes defuncti nullius violentiæ ab eo perpeſſæ ſibi conſcii erant, niſi quod aliquo ante morbum tempore ipſum lapſu in abdomen adfectum fuiſſe

 Pater

Pater ſando perceperit, aliis puerum intenſa hyeme ſæpius abdomen, amictu aperto, frigori expoſitum geſſiſſe referentibus. Similia concretionis præternaturalis viſcerum exempla etiam in aliis ſubjectis ſubinde occurrunt, prout nuper admodum in viro quodam ingenii dum vivebat, hebetioris, qui ictu gladii per ſiniſtrum pulmonum lobum in cavitatem pericardii uſque penetrantis confoſſus fuerat, dictum pulmonum lobum in ſua ſubſtantia quoque non adeo bene conſtitutum non cum pleura ſolum, ſed pericardio ipſo undique arctiſſime concretum reperimus, tota cerebri mole ſimul copioſiſſimo ſero inundata. Et a Parente meo in aliis nonnullis ſubjectis pericardium cum toto corde, omentumque cum facie concava peritonæi coaluiſſe obſervatum fuit.

Tantum.

Pag. 15. lin. 14. lege Nymphæa, Papaveres vero,
Pag. 16. lin. 15. maſculine enunciati, auctoritate PLAVTI & VARRONIS tuti ſunt.